

Præcepta Decalogi eo modo & ordine, quo in Ecclesia Catholica distinguunt Theologi & Catechizæ. Unde ad 1. (Ibid.) momentum Esichii R. Quod præceptum de sanctificatione Sabbathi inconvenienter positum fuisset inter Præcepta Decalogi, si nullo modo ad Decalogum pertinere. Ad 2. R. (Ibid.) Quod, cum scriptum sit Matth. 6. Nemo potest duobus Dominis servire, ejusdem rationis esse videtur, & sub eodem præcepto cadere: Ego sum Dominus Deus tuus, & Non habebis Deos alienos. Ad 3. ejusdem, & 1. Origenis. R. Quod facere sculptile, vel similitudinem non sit prohibitum, nisi secundum hoc, ut non colantur pro Diis: nam in Tabernaculo Deus præcipit fieri imagines Seraphim Exod. 25. Unde pertinet ad idem Præceptum: Non habebis Deos alienos, & Non

facies sculptile. Ad ultimum utriusque, R. Quod cum cupiditas uxoris alienæ pertinet ad concupiscentiam carnis, & cupiditas rerum alienarum ad concupiscentiam oculorum, sicut Deus distinctis præceptis harum cupiditatum actiones prohibuit: Non machaberis, Non furium facies: ita & ipsas cupiditates. Nota. Plures hic institunt Tractatum specialem de Præceptis Decalogi; nec male: sed juxta S. Th. methodum omnia, quæ hanc materiam spectant, suis propriis locis hinc & inde explicamus. Ea enim, quæ pertinent ad tria prima Præcepta, fusè discussa habes in Dissertationibus de Religione: quæ spectant quartum præceptum in Dissertatione de Pietate & Observantia: quæ pertinent ad sex alia Præcepta, in tractatibus de Justitia, & Temperantia.

TRACTATUS DE FORTITUDINE, ET VIRTUTIBUS EI ANNEXIS

à Q. 123. ad 140.

DISSERTATIO I. DE FORTITUDINE, ET VITIIS OPPOSITIS.

QQ. 123. 24. 25. 26. 27.

ARTICULUS I. De ipsa Virtute Fortitudinis.

Fortitudo est virtus moderans motus animi circa quæcumque terribilia, præsertim circa pericula mortis sustinenda, vel repellenda. Colligitur ex Auctore per totam q. 123. & patet ex dicendis.

Dico 1. (Q. 223. a. 1. o.) Fortitudo est vera virtus. Prob. (Ib.) Virtus definitur, quæ facit bonum habentem, & opus ejus bonum reddit; bonum autem hominis est esse secundum rationem; atqui fortitudo facit hominem esse secundum rationem: ergo. Prob. Min. Id, quod impedit, quominus homo recedat a bono rationis propter difficultia & pericula, sed contra firmat animum ad ea juxta rectam rationem, vel toleranda, vel propulsanda, facit hominem esse secundum rationem; atqui id vocatur fortitudo, ex analogia ad fortitudinem corporalem, qua ea, quæ corpus valide impellunt, homo immotus sustinet, aut repellit: ergo.

Dico 2. (Ib. a. 2. o.) Fortitudo propter sumpta est virtus specialis. Declaratur. (Ib.) Fortitudo potest sumi dupliciter. 1. Latè & generaliter pro qualibet firmitate in bono honesto: & secundum hoc est generalis virtus, seu potius conditio cujuslibet virtutis: ad virtutem enim juxta Philosophum 2. Ethic. requiritur firmiter & immobiliter operari, idque maxime quando est perfecta. 2. Sumitur fortitudo pro speciali firmitate animi in sustinendis & repellendis his, in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in gravibus periculis, & maxime mortis; & sic sumpta fortitudo est virtus specialis, quia ibi est speciale objectum & specialis difficultas in bono rationis retinendo.

Si dicas, quamlibet virtutem, si est perfecta, ad id sufficere; castus enim v. gr. in gradu heroico, nullius mali metu impelli potest ad violandam castitatem. R. (Ib. a. 7. o.) alias virtutes id præstare, non ex affectu boni fortitudinis, quatenus scilicet congruum est rationi, ut sic temperentur timores & audacia, qualiter decet virum fortem; sed ex affectu propriæ honestatis, & quia necessarium est ad finem suum; unde potius id præstant imperando, quam eliciendo; ideoque debet assignari aliqua virtus, quæ id præstet ex affectu illius boni fortitudinis per se, & eliciendo.

Dico 3. (Ib. a. 3. 4. & 5. o.) Fortitudo immediate versatur circa timorem & audacias, illos & illas moderando secundum rationem: mediâtè circa pericula & præsertim cir-

câ pericula mortis; quæ tamèn talia sint, ut honestè inscîpi, seu sustineri possint. Hæc conclusio (Ib. a. 3. o.) habet quatuor partes probandas. Prob. duæ priorès. Ad virtutem fortitudinis pertinet removere impedimentum, quo per aliquid difficile voluntas retrahitur a sequela rationis; atqui mala, aut pericula quæcumque nullius voluntatem retrahunt a sequela rationis, nisi quia timentur: ergo fortitudo immediatè versatur circa timores eos cohíbendo, ne quis pericula nimium timeat, & ex eorum timore a bono rationis recedat. Et quia oportet, hæc pericula non solum firmiter tolerare, sed etiam quandoquæ pro circumstantiis aggredi & repellere, quod pertinet ad audaciam, hanc etiam, ut maneat intra limites rationis, scilicet ut non temerè, sed prudenter aggrediatur, aut etiam fugiat, si necesse sit, moderatur animi fortitudo.

Prob. 3. pars. (Ib. a. 4. o. & ad 1.) Quamvis fortitudo firmet animum in omnibus malis & periculis, ne illorum metu a bono honesto deflectat; non tamèn ex toleratione cuiuscumque mali reputatur homo simpliciter fortis, sed ex hoc quod bene tolerat maxima mala: ad rationem enim virtutis pertinet, ut respiciat ultimum, seu perfectum, & ut ait Philosophus, virtus ex perfectioribus actibus suis metienda est; atqui inter omnia mala corporalia maxime terribile est mors, quæ tollit omnia corporalia bona: ergo fortitudo versatur principalitèr & primario circa pericula mortis, secundario circa alia pericula.

Prob. 4. pars. (Ib. a. 5. o.) Quia, cum fortitudo sit virtus, & ideo in bonum tendat, consequens est, quod non nisi propter bonum & honestum firmet animum adversus pericula. Conf. Materia virtutis non potest esse inhonesta, alioquin virtutis rationi repugnaret, & ejus capax non esset sicut materia, quæ repugnat figurati, non est capax figuræ statuæ: ergo virtus fortitudinis debet versari circa pericula, quæ suscipiuntur, aut sustinentur propter aliquod bonum honestum, seu, ut dicit Philosophus, propter optimum. Hinc

Colliges. 1. (Ib.) fortitudinem versari maxime circa pericula, quæ imminet in bello justo, sive communi, sivi particulari; quia in bello communi justo subeuntur pericula propter bonum commune: in bello particulari justo propter aliquam virtutem, puta justitiam, castitatem, fidem, &c. ut si incitentur mors iudici, nisi ferat iniquam sententiam; virgini, nisi consentiat stupratori; fideli, nisi fidem abneget.

Et quamvis (Ib.) pericula mortis, quæ imminet ex

ægritudine, vel tempestate maris, vel ex incurso latrocinio, vel ex alia simili causa, non videantur alicui imminere ex hoc, quod prosequatur aliquod bonum honestum, nec ideo per se & directè sint materia fortitudinis; quia tamèn ex intentione operantis possunt suscipi, vel sustineri propter aliquam virtutem (ut qui amico peste infecto inservit: qui navigat in mari periculoso propter aliquod pium negotium, aut saltem propter ipsum bonum fortitudinis, quia nempe sic congruit viro forti) ideo etiam pertinere possunt secundario ad fortitudinem.

Colliges 2. e contra, latrones, sicarios, duellantes, injusta bella gerentes non habere veram virtutem Fortitudinis, sed similitudinem tantum, nec dicendos esse fortes, sed temerarios, & crudeles; quia non subeunt pericula propter bonum virtutis. Neque dicas, præfatos posse hæc pericula subire propter ipsum bonum Fortitudinis, & ut de superioribus dictum est; quia, ut dixi, materia inhonesta repugnat virtuti, & est illius incapax: ut itaque sive affectus interni, sive actus externi sint materia Fortitudinis, requiritur, quod sint per se tales, ut, accedente moderatione Fortitudinis, sint absolute honesti, & rationi consentanei.

Dico 2. (Ib. a. 6. o.) Sustinere, id est, immobilitèr sistere in periculis, est principalior actus Fortitudinis, quam aggredi. Quia Fortitudo est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias, ut dictum est prima parte conclusionis præcedentis; atqui sustinere sequitur repressionem timoris, aggredi autem moderationem audaciarum: ergo.

Dico 3. Difficilius est aggredi, quam sustinere; atqui virtus est circa difficile, & bonum, ut dicitur communiter ex Philosopho: ergo. R. N. M. j. 1. (Ibid. ad 1.) Quia videtur aliquis sustinere ab aliquo fortiori invadente; qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris; difficultus est autem pugnare cum fortiori, quam cum debiliore. 2. Quia, qui sustinet, jam sentit periculum imminens, & ille, qui aggreditur, habet ea ut futura: difficultus est autem non moveri a presentibus, quam a futuris. 2. Quia sustinere importat diuturnitatem temporis, sed aliquis potest aggredi ex subito motu; difficultus est autem diu manere immobilitèr, quam subito motu moveri ad aliquod arduum.

Dico 4. Majoris potentie esse videtur agere, quam pati; atqui aggredi est agere, sustinere est pati. R. D. Min. (Ibid. art. 2.) Sustinere est pati quoad corpus, C. quoad animum, N. est enim actus animæ fortissimè inhærens bono; virtus autem magis attenditur circa animam, quam circa corpus.

Dico 5. (Ib. a. 11. o.) Fortitudo est virtus Cardinalis, Prob. (Ib.) Illæ virtutes, inter humanas dicuntur Cardinales, quibus inest excellenter una ex quatuor conditionibus omni virtuti communibus, quæ sunt Discretio, Rectitudo, Firmitas, & Moderamen; atqui Fortitudini inest excellenter firmitas, quippe qua firmatur animus, non solum adversus voluptates, sed etiam adversus mala, & pericula, & ea non qualiacumque, sed maxima, scilicet mortis: ergo. Consule 1. 2. q. 61. a. 3. & 4.

Dico 6. (Ibid. a. 12. o.) Fortitudo non præcellit, inter omnes Virtutes Cardinales, sed est ordine dignitatis tertia. Prob. Virtutes æstimari debent secundum bonum rationis: hoc autem bonum essentialitèr habet Prudentia, est enim perfectio ipsius rationis, in qua residet, & ex ea dicitur medium omnibus virtutibus: hujus boni effectiva est Justitia, quatenus ad illam pertinet ponere ordinem rationis in rebus humanis, etiam illis, quæ ad alios ordinantur: hujus boni fortitudo est conservativa, moderando timores periculorum mortis, & Temperantia moderando delectationes tactus, ne & illi, & istæ ab isto bono rationis abdicent; atqui quod essentialitèr dicitur, potius est eo, quod dicitur effective, & hoc est potius eo, quod dicitur conservativè, & majus est esse firmum contra pericula mortis, quam contra voluptates: ergo inter Virtutes Cardinales potior est Prudentia, 2. Justitia, 3. Fortitudo, 4. Temperantia.

Si dicas, Virtutem esse circa difficile, & bonum; Fortitudinem autem esse circa difficilimum. R. (Ibid.) rationem Virtutis magis consistere in bono, quam in difficili: unde magis mensuranda est magnitudo Virtutis secundum rationem boni, quam secundum rationem difficultis.

Petis, utrum fortis delectetur in suo actu? Anrè Resp. (Ibid. ad 2.) Nota, duplicem esse delectationem; unam corporalem, quæ consequitur ex sensibus corporalibus, maxime ex tactu corporeo; aliam animalem, quæ consequitur ad apprehensionem animæ, non solum sensitivæ, sed etiam intellectivæ, ex quo capite potest etiam dici spiritualis. Hoc notato, R. Fortis ex una parte delectatur in suo actu delectatione animali, quia delectatur in ipso opere virtutis, & in ejus fine tam remoto, quam proximo: ex alia parte habere unde doleat, etiam animalitèr, dum apprehendit amissionem propriæ vitæ; itèr & corporalitèr, dum sustinet diros dolores, flagella, vulnera, &c.

Et quamvis (Ibid. a. 8. o.) virtus fortitudinis faciat, ut per hujusmodi dolorum vehementiam ratio non absorbeat, nec a recto deficiat, facit tamèn sensibilis dolor non sentiri animalem delectationem, nisi forte per superbundantem Dei gratiam, & consolationem spiritualis animæ delectatio superet, & veluti obtundat vim doloris corporalis, ut accidit quibusdam SS. Martyribus, specialitèr, S. Tiburtio, qui, cum semper carbones accensos nudis plantis incederet, dicebat sibi videri super roseos flores ambulare. Dolorem verò, seu tristitiam animalem ex apprehensione vitæ amittende superat delectatio Virtutis, in quantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuscumque ad eam pertinentibus.

Et quamvis (Ibid. a. 8. o.) virtus fortitudinis faciat, ut per hujusmodi dolorum vehementiam ratio non absorbeat, nec a recto deficiat, facit tamèn sensibilis dolor non sentiri animalem delectationem, nisi forte per superbundantem Dei gratiam, & consolationem spiritualis animæ delectatio superet, & veluti obtundat vim doloris corporalis, ut accidit quibusdam SS. Martyribus, specialitèr, S. Tiburtio, qui, cum semper carbones accensos nudis plantis incederet, dicebat sibi videri super roseos flores ambulare. Dolorem verò, seu tristitiam animalem ex apprehensione vitæ amittende superat delectatio Virtutis, in quantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuscumque ad eam pertinentibus.

ARTICULUS II.

De Martyrio. Q. 124.

Martyrium Græcè, dicitur Latine Testimonium: usu verò ab Ecclesia recepto sumitur pro testimonio singulari Veritatis Christianæ per tolerantiam mortis: ut dum quis pro Fide, aut alia virtute non deserenda mortem subit. Hoc modo acceptum Martyrium tribuitur, & ipsi morti pro veritate toleratæ, ut cum dicimus, aliquem subisse Martyrium; & actui, quo pro veritate sustinenda ipsa mors acceptatur; & de hoc ultimo est quæstio. Unde

Dico 1. (Q. 124. a. 1. & 2. o.) Martyrium est actus Virtutis Fortitudinis. Prob. 1. Pars (Ib. a. 1. in a. s. c.) quod sit actus virtutis. 1. Quia præmium Beatitudinis non nisi virtutis acui debetur; atqui debetur Martyrio juxta illud Matth. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum: ergo. 2. (Ibid. o.) Quia ad rationem Martyrii pertinet firmè stare contra persequentium impetus in veritate, & justitia, quod est bonum rationis; atqui virtutis est firmare in bono rationis: ergo.

Prob. 2. Pars. (Ib. a. 2. o.) Ad fortitudinem pertinet, ut confirmet hominem in bono virtutis contra pericula mortis, illius præsertim, quæ est in bello, ut dictum est a. præcedenti; atqui manifestum est, quod in Martyrio homo firmèr confirmetur in bono virtutis, dum Fidem & Justitiam non deserit propter pericula mortis, quæ in quodam certamine particulari a persecutoribus imminet: unde canit Ecclesia de Martyribus: Fortes facti sunt in bello: ergo.

Dico 2. contra 1. Partem. Omnis actus virtutis est voluntarius; atqui Martyrium quandoquæ non est voluntarium, ut patet de Innocentibus pro Christo occisis: ergo. R. (Ibid. a. 1. ad 2.) Quosdam dixisse, quod Innocentibus acceleratus sit miraculose liberi arbitrii usus, ita quod etiam voluntariè Martyrium passi sunt. At, quia hoc auctoritate Scripturæ, aut Patrum non comprobatur, imò contrarium Patres asserunt, ut videre est apud Aug. Serm. 66. de diversis, & Ep. 28. apud S. Petrum Chrysost. Serm. 152. & alios; id melius dicendum est, quod Martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde, sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismi meritum Christi operator ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum meritum Martyrii operatur ad palmam Martyrii consequendam. Sunt ergo SS. Innocentes dicendi Martyres, Martyrio sumpto, non pro voluntaria mortis acceptatione propter Christum, sed pro ipsa morte propter Christum tolerata; quomodo etiam nunc forent Martyres infantes nondum baptizati, qui inodium Christi, aut Religionis Christianæ occiderentur. Ex quo inferes, in Martyrio conferri gratiam non vi operis operantis, sed vi operis operati; licet tamèn ipsum Martyrium non causet instrumentalitèr gratiam, sicut causant Sacramenta: de quo, fusius dum de Baptismo.

Dico 3. contra 2. Partem: Quælibet virtus, præsertim si sit perfecta, sufficit, ut amore sui honeste mortem perferat, quando mors est necessaria ad hunc finem, v. gr. castitas, si mors sit necessaria ad eam conservandam: ergo. Prob. Ant. Eius virtutis est amare finem, & media necessaria ad illum, nec minus efficax est affectus castitatis ad bonum proprium, quam affectus fortitudinis ad

anum: ergo. Respondet Lessius, concedendo inde probari Martyrium, seu mortis perpersionem posse procedere ab aliis virtutibus absque formali actu fortitudinis; plerumque tamen virtutem fortitudinis se immiscere, quia raro alia virtutes eum gradum perfectionis obtinent, ut sole ad hoc sufficiant; attamen sive Martyrium procedat ab effectu fortitudinis, sive alterius virtutis, iuxta communem SS. Patrum loquendi modum, semper dicendum esse actum fortitudinis, tum quia est in materia fortitudinis, tum quia procedit ex summa animi firmitate in bono. Hæc autem animi firmitas in bono, qua quis est paratus mortem subire potius, quam illud deserere, passim a Patribus vocatur fortitudo; nullus enim fortitudinem ad has angustias restringit, ut solum id respiciat, quod virum fortem decet, & solius hujus boni intuitu operetur. Respondet Sylvius, virtutem quamlibet quidem firmare animum in bono sui objecti; hoc tamen non obstante, ubi occurrit specialis aliqua, & insolita difficultas vincenda, cujusmodi est stare contra pericula mortis, peculiaris virtutis esse animum contra illa firmare, nimirum fortitudinis: dantur enim virtutes speciales ad superandas speciales difficultates. Ad probationem dicit, ejus virtutis equidem esse amare finem, & media per se ad hunc finem ordinata, & ad hæc affectum hanc esse efficacem; secus autem, si media sint insolita, valde ardua, & difficilia, ad hoc enim indiget auxilio alterius virtutis, illius nimirum, ad quam talia media per se spectant. Utraque responsio potest sustineri. Secunda tamen est conformior litteræ Auctoris.

Dices 3. Martyrium est actus Charitatis, juxta illud Joann. 5. *Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo. R. D. Ant. (*Ib. a. 2. ad 2.*) Martyrium est actus Charitatis moventis, & imperantis. Transeat Ant. elicentis, N. Ant. Sic enim est actus Fortitudinis. Dixi, *Transeat Antecedens*, quia indiget explanatione. Non est ergo sensus, quod Martyrium semper imperetur a charitate habituali, licet ita olim senserint Alensis, S. Bonav. Paludanus, & alii plures antiqui. Constat enim, quod adultus nondum justificatus, si cum vera attritione de peccatis mortem pro Christo subeat, sit verè Martyr: siquidem, ut tradunt SS. Patres apud Sylvium 3. p. q. 66. art. 9. *Queritur 2.* & dixi supra ex D. Th. *Effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismi*; ad Baptismum autem salutarem non requiritur, quod procedat a charitate habituali. Sensus ergo est, quod Martyrium sit opus maxime idoneum, quod a charitate habituali imperetur, quodque de facto imperetur, si insit. Potest etiam esse sensus, quod semper imperetur a charitate, vel habituali, vel actuali per auxilium Dei moventis, licet nondum inhabitantis. Nullus enim est verè Martyr, eo saltem modo quo oportet ad salutem, sine aliquo amore Dei super omnia: vel enim est justus, vel peccator; si justus, licet non est autem vera, & sufficiens poenitentia ad salutem sine aliquo amore Dei super omnia, ut docemus de contritione. Si autem est amor Dei super omnia, ex illo regulariter procedit acceptatio mortis pro Christo, quamvis possint concurrere alia motiva, ut spes gloriæ, metus inferni, dignitas Fidei, &c. (*Quod l. 4. q. 10. a. 1.*) Quantum ad verba Christi non est sensus, quod ipsa mortis perpessio pro Christo præcisè secundum se sit essentialiter dilectio Dei super omnia, aut eam necessario involvat. Patet ex illo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et certum est, multos esse, qui parati sunt mori potius, quam Christum negare, & tamen sunt luxuria, ebrietati, odio fraterno, & aliis peccatis mortalibus actualiter addicti.

Neque obstat, si dicas eum, qui paratus est fundere vitam pro Christo, esse etiam paratum cætera omnia, & ipsas voluptates, quibus fruatur in vita, propter ipsum deserere, atque adeo reipsa deserit, mortem acceptando. Non obstat, inquam; inde enim ad summum sequitur, talem malle omnia deserere, quam Christum negare, non tamen velle absolute omnia deserere, ut Christo placeat, quod esset actus dilectionis super omnia. Sit paritas in illo, qui mallet mori, quam fidem amico datam violare; non sequitur inde, quod diligat amicum super omnia, cum forte sint multa alia, quæ vel dare, vel tacere pro amico nollit, nec eum ideo pro fine ultimo habeat. Neque est sensus, quod sit semper major charitas illius, qui subit martyrium, quam aliorum; cum certo constet, B. Virginem superasse omnes Martyres in charitate, licet Martyrio vitam non finierit. Sensus (*Hic q. 124. a. 3. o.*) est er-

go, quod inter humanos ætatis nullus est, quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam Martyrium; quasi diceret: majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Quia tantò magis ostenditur aliquis rem aliquam amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit. Manifestum est autem, quod inter omnia alia bona præsentis vitæ maxime amat vitam ipsam, & e contrario maxime odit ipsam mortem. Unde sequitur, quod is, qui subit Martyrium, non possit suam dilectionem probare aliter magis, quam per Martyrium.

Dico 2. (*Ibid.*) Si Martyrium consideretur secundum speciem, respectivè scilicet ad virtutem, a qua elicitur, non est actus maxime perfectionis, quia sic est actus Fortitudinis, quæ non est maxima virtutum. Si verò (*Ib.*) consideretur ex parte charitatis imperantis, in tantum est actus maxime perfectionis, in quantum est maximum signum dilectionis, ut modò explicatum est.

Dico 3. (*Ibid.*) Ad perfectam rationem Martyrii requiritur, quod aliquis mortem sustineat pro Christo. Prob. (*Ibid. a. 4. o.*) Martyr dicitur testis Fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus commendanda proponuntur, ut dicitur ad Heb. 11. ergo ad perfectam rationem Martyrii requiritur, quod homo testificetur hanc Fidem, ostendens opere se omnia præsentia contemnere, ut ad futura, & invisibilia bona perveniat. Subsumo: atqui, quamdiu homini remanet vita corporalis, nondum ostendit opere se corporalia cuncta despiciere: ergo.

Hinc inferes 1. (*Ibid.*) Eos, qui tormenta passi sunt propter Christum, sed non usque ad mortem, non esse perfectè, & completè Martyres. Quod etiam verum est, etsi tale vulnus, aut talem cruciatum passi sunt, ex quo mors naturaliter sequi debebat, sed miraculosè sequi prohibita est, ut in S. Jo. Evang. qui in ferventis olei dolium missus, ex eo divinitus illisus evasit: quamvis tamen ob bonam Martyrii partem sint, & dicantur incompletè Martyres, & quidam ex his ut Martyres ab Ecclesia colantur.

Inferes 2. (*Suppl. q. 99. a. 6. ad 7.*) B. Virginem non fuisse verè, & propriè Martyrem, sed metaphoricè tantum, & incompletè, seu similitudinariè, propter vehementissimos dolores, quos passa est in anima ex morte Filii.

Inferes 3. (*Hic a. 4. ad 1.*) Eum e contra esse verè, & propriè Martyrem, qui, accepto propter Christum lethali vulnere, miraculosè, vel aliter aliquandiu supervivit, si tandem ex illo vulnere occumbat. Idem dicendum, si vulnus non sit ex se mortale, & tamen exinde mortem incurrat, modò non intercesserit negligentia mortalis in curatione; quia verum est, quod vulnus acceptum pro Christo sit prima occasio mortis. (*Suppl. cit.*) Similiter, si ex carcere, exilio, inedia, rapina bonorum, etiam sine vulnere, mors sequatur.

Dico 4. (*Ibid. & hic a. 4. ad 2.*) Non solum, qui directè pro Fide Christiana, sed etiam qui pro cuiusvis virtutis Christianæ officio, aut quavis offensa Dei vitanda mortem oppetit, verè dicendus est Martyr. Prob. 1. (*Hic a. 5. o.*) Ex illo Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, quod pertinet ad Martyrium: atqui ad justitiam pertinet, non solum Fides, sed etiam alie virtutes: ergo.

Prob. 2. (*Ibid. in a. s. c.*) Martyr est testis, qui morte sua perhibet testimonium veritati Fidei, quæ per Christum nobis innotuit: unde Martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius; atqui, qui propter Deum cuiusvis virtutis Christianæ opus desere, aut opus malum committere recusat, & ob id mortem sustinet, perhibet testimonium veritati Fidei: ergo. Min. Quia sic protestatur, si non verbis, saltem factis, se credere, Deum talem virtutem exigere, & remunerare, tale opus prohibere, & punire; quod est veritas, quæ per Christum nobis innotuit, testimonium perhibere: ergo. Unde (*Ibid. o.*) multi coluntur in Ecclesia ut Martyres, qui non sunt occisi directè causa Fidei; sed vel propter reprehensionem adultèrii, ut S. Joann. Bapt. S. Lambertus, & alii; vel propter defensionem Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut S. Thomas Cantuariensis; vel propter conservationem castitatis, ut plures SS. Virgines; vel propter alias virtutes.

Hinc etiam inferes, Hæreticos non posse esse Martyres, quia, si occiduntur propter Fidem, quam profitentur, ea Fides non est Fides Christi, cum eam non teneant propter auctoritatem Christi, alioquin omnia Fidei tenerent patiter, sed ipsorum est Fides, non supernaturalis unguè, sed humana, & acquisita: unde non moriuntur propter Fidei veritatem. Quapropter Aug. Conc. 2. in Ps. 24. dicit: *Marty-*

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

De Conditionibus requisitis ad verum, & salutarem Martyrium.

Colliges ex dictis art. præc. quatuor conditiones requiri ad verum, & salutarem martyrium: 1. est (*Hic a. 4. o.*) quod verè sequatur mors, alius non erit perfectum testimonium: 2. quod (*Ibid. a. 1. o.*) voluntariè acceptetur; quia est actus virtutis, qui debet esse voluntarius. Quapropter, si quis adultus dormiens causa Fidei occidatur, absque eo quod antea de martyrio cogitaverit, probabile est, quod non sit verè martyr; secus, si coniectus in vincula martyrium subire proposuerit: sicut dormiens verè baptizatur, qui antea Baptismum desideravit.

Si dicas, Eucharistiam, & Extremam Unionem conferri usu rationis privatis in periculo mortis, etsi non petierint, & in istis vim habere. R. Disparitatem esse, quod, qui christianè vixit, censetur habere propositum adhibendi inedia ordinaria, & per se ordinata ad salutem, qualia sunt Sacramenta; secus martyrium, quod est medium extraordinarium, & difficile. Nec enim omnes Christiani ita sunt animo comparati, ut illud desideret, sicut desiderant sibi applicari Sacramenta in necessitate. Non est tamen improbabilis sententia contraria Cajetani hic a. 2. & Sylvii 3. p. q. 66. a. 11. *Queritur 3.* Nimirum, si omnia sua in Deum ut in finem reculerit, & dormiens occidatur propter Christum, absque eo quod explicite de Martyrio cogitaverit, esse Martyrem, quia in ea dispositione censetur mors aliquo modo voluntariè suscepta. Quantum verò ad Infantes (*Ibid. 1. ad 1.*) qui propiam voluntatem adferre non possunt, eam supplet specialis gratia, sicut in Baptismo.

Tertia conditio est (*Ibid. a. 5. & ad 2.*), ut acceptetur mors propter causam honestam, & piam, ita ut causa mortis sit opus virtutis Christianæ in ordine ad Deum, & propter Deum. Unde, qui moreretur pro confessione veritatis Geometricæ, aut alterius scientiæ profanæ, non esset Martyr; secus, si pro vitando in ea re mendacio, quatenus id est contra doctrinam Christi, & displicet Deo. Similiter, si quis moreretur pro virtute morali, quia dedecet Philosophum, non esset Martyr; secus, si quia dedecet Christianum.

Quarta conditio est dispositio interior quoad gratiam, & charitatem, & hæc majorem patitur difficultatem. 1. Non prærequiritur gratiam sanctificantem, aut charitatem habituatam, nec proinde contritionem perfectam, quæ justificat, constat ex dictis conclusionibus 1. hujus Art. Argumento 3. ubi soluta sunt, quæ obijciuntur ex Joann. 15. & ex S. Th. hic a. 2. Si præterea obijcias illud 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; Et illud S. Th. 3. p. q. 66. a. 12. *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismatis, si sit sine charitate.* R. Hæc intelligenda esse, non necessario de habitu charitatis, quæ homo constituitur Dei amicus, filius, & hæres regni, sed de charitate, vel habituali, vel actuali, hoc est, sincero Dei amore, qualis esse solet in Catechumenis, & Poenitentibus.

2. Non sufficit in peccatore præcisè hic actus: *Volo mortem subire pro Christo*, secluso omni motu poenitentiae; sed requiritur vera poenitentia, seu attritio de omnibus peccatis saltem mortalibus. 1. Quia, si Baptismus hanc requirit in adulto, à fortiori Martyrium, quod non est institutum contra peccatum sicut Baptismus. 2. Quia nemo à Deo aversus per peccatum potest ipsi reconciliari, nisi per motum contrarium, qui est motus poenitentiae. Unde Trid. Sess. 24. c. 4. declarat, motum contritionis saltem imperfectæ quovis tempore fuisse necessarium ad impetrandam veniam peccatorum. 3. Quia nullum est fundamentum asserendi, Martyrium tollere obligationem, vel adimplendi præcepta, vel adhibendi media per se ad salutem instituta, aut necessaria, cum ipsum, ut jam dixi, non sit per se institutum ad tollendum peccatum. Quapropter, si homo, cui imminet Martyrium, non sit baptizatus, debet baptizari, & si sit post Baptismum relapsus, debet confiteri, ubi tamen utriusque fuerit commoditas.

Obj. 1. Hunc actum, *Volo mortem subire pro Christo*, includere poenitentiam, saltem virtuatam, quæ videtur sufficiens. R. id quidem esse verum, si talis actus procedat ex amore Dei super omnia, & subito raptus ad Martyrium, vel ex fervore charitatis, vel ex oblivione, aut ignorantia non recordetur peccatorum: sed nego, hunc actum necessarium, & semper importare dilectionem Dei super

tyrem non pena, sed causa facit: pena est communis laicorum, & Martyrii; Hæretico, & Catholico, sed causa dispar.

Petes 1. utrum sint Martyres, qui occiduntur in bello justo pro defensione Reipublicæ adversus Infideles, aut Hæreticos, qui fidem Christi corrumpere moluntur. R. affirmativè, (*Ibid.*) modo militent, non intuitu aliquo humano, puta stipendii militaris, honoris mundani, aut boni communis præcisè sine relatione ad Deum, sed ex zelo Fidei, & Religionis Christianæ; quia sic occiduntur propter Christum, & testimonium sua morte perhibent veritati Fidei. Ità post S. Thomam censet Sylvius in utroque loco. cit.

Dices cum Lessio, & Layman. 1. Hi non voluntate, sed necessitate victi mortem oppetunt. 2. Non gerunt similitudinem Christi patientis, *Qui cum pateretur, non comminabatur*, 1. Petri 2. Sed *tamquam ovis coram tonsente se obmutuit*. Is. 53. Tales Ecclesia non colit ut Martyres: ergo. R. ad 1. N. Ant. Si enim hi vellent cedere hosti, & negare Fidem, non occiderentur: ergo voluntate mortem oppetunt, non minus quam si fugiendo occiderentur. Ad 2. R. eos gerere similitudinem mortis Christi, si non quoad omnes circumstantias, saltem quoad principales, quatenus pro veritate, & virtute mortem voluntariè sustinent, quam, si hosti cedere vellent, possent vitare. Sic, qui fugiendo Tyrannum occidunt, non gerit similitudinem mortis Christi quoad omnia, & tamen est verè Martyr. Ad 3. N. Conseq. Hi enim possunt esse coram Deo verè Martyres, quanvis ut tales ab Ecclesia non colantur; quia Ecclesia neminem pro Sancto habet nisi post diligenter inquisitionem: de occumbentibus autem in bello adversus Infideles, aut Hæreticos non solet instituere inquisitionem, quia difficilior est, cum in eo plures militent, vel Hæretici, vel Schismatici, vel facinosi, aut alii ex merito motivo humano absque ullo respectu ad Deum.

Sed utrum, qui, seposita causa Fidei, occiduntur in bello justo propter defensionem boni communis tantum, sint Martyres, si tamen militent cum relatione ad Deum, puta ut satisfaciatur debito justitiæ legalis, qua tenentur erga Rempublicam? Non ita constat. Videtur tamen asserere S. D. (*Hic a. 5. ad 3.*) dum dicit: *Bonum Reipublicæ est præcipuum inter bona humana. Sed bonum divinum, quod est propria causa martyrii, est potius quàm bonum humanum: tamen quia bonum humanum potest effici divinum, ut si referatur ad Deum; ideo potest esse quocumque bonum humanum martyrii causa secundum quod in Deum refertur.* Idem sentire videtur doctissimus ejus Interpres Sylvius ibidem dicens, illos, qui pro defensione Reipublicæ in bello justo occiduntur, posse esse Martyres, si illam defendunt propter Deum ex amore justitiæ, & Legis divinæ: sic enim moriuntur, ne virtutis officium deserant.

Petes 2. utrum licitum sit se offerre martyrio? R. negativè, regularitè loquendo. (*Hic a. 1. ad 3.*) Quia non est licitum exercere actum virtutis, nisi cum fieri potest absque detrimento spirituali, vel corporali alterius, aut nisi rationabilis causa postulet, ut fiat: alioquin sufficit, quod homo sit omnino paratus ad illum, cum recta ratio attentis circumstantiis omnibus postulat fieri; atqui, regularitè loquendo, se offerre martyrio est dare Tyranno occasionem injustè agendi, nec ordinariè subest rationabilis causa se offerendi, quin potius est temerarium, & præsumptuosum: ergo.

Sed quid de illis mulieribus, quæ se in aquas proiecunt, ut insectatores suæ pudicitia vitarent, vel præventes manus carnificum sponte in ignem profluerent, quas Ecclesia colit ut Martyres? R. eas à quibusdam excusari propter inculpata ignorantiam; quia, licet sui ipsius occisio sit contra Jus naturæ, potuerunt tamen inculpate ignorare, an non in talibus circumstantiis esset licita. Sed melius cum SS. Aug. & Thom. (*Hic q. 64. a. 5. ad 4.*) dicendum est eas excusari, quod id fecerint ex instinctu Spiritus S. latenter id suggerentis, & jubentis. Unde cavit Ecclesia de S. Apollonia, quod in ignem se projecit major Spiritus S. flamma intus accensa. Et merito coluntur ut Martyres; quia, licet non sint occise à persecutoribus; hi tamen sua persecutione fuerunt causa, cur, ne à virtute deficerent, vitam suam perderent.

per omnia ut dixi loco prius citato primæ conclusionis, & cum nude sumptum absque tali dilectione, aut formalis poenitentia motu, sufficere propter rationes mox allatas.

Obj. 2. Verba Christi Matth. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, & ego eum coram Patre meo*; & hæc S. Thomæ 3. p. q. 87. a. 1. ad 2. *Passio pro Christo suscepta purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhereantem*; atqui, qui peccati non recordatur, aut qui recordatur, sed deponit simpliciter affectum ad illud absque ulteriori atentione de præterito, non habet voluntatem actualiter peccato inhereantem: ergo. R. Ad 1. Simili modo dictum esse de Baptismo Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; & tamen requiritur attritio ad Baptismum. Hæc ergo, & similes sententiæ generales intelliguntur sub certis limitationibus, nimirum si adsint aliunde requisita. Ad D. Th. Requirit eundem, quod Martyrio plectendus deponat affectum ad peccatum, sed per veram poenitentiam; non enim plus tribuit Martyrio, quam Baptismo: *Effusio*, inquit (*Hic a. 1. ad 1.*) *sanguinis pro Christo vicem gerit Baptismatis*: ad Baptismo autem requiritur in adultum motum poenitentia. Et aliunde aperit sibi contradiceret, ut patet ex verbis eius cit. supr. ex q. 66. 3. Patris.

Inst. Juxta SS. Patres Martyrium supereminet Baptismo: ergo, quantumvis requiratur motus poenitentia ad Baptismum, non sequitur, cum requiritur ad Martyrium. R. D. Ant. Martyrium supereminet Baptismo, quantum ad vim causandi gratiam, quasi illum causaret absque dispositionibus, quas requirit Baptismus, N. Quantum ad alias prærogativas, C. Prima est, quod non solum culpam, sed etiam culpæ possibilitatem auferat, & hominem actualiter introducat in vitam beatam. (3. p. q. 66. a. 12. o.) Secunda, quod non sit tantum mystica, & figurativa representatio passionis Christi, sicut Baptismus illuminis, sed vera, & realis imitatio. (*Suppl. q. 96. art. 6. o.*) Tertia, quod ultra premium essentiali beatitudinis, etiam assequatur aureolam.

Obj. 3. Si ad Martyrium salutare prærequiritur motus poenitentia, seu attritio, que includat aliquem Dei amorem super omnia, merito poterit Ecclesia de multis Martyribus dubitare, an sint Beati, ac proinde pro illis orare contra illud Innoc. III. C. *Cum Martha. De celebrat. Miss. §. finali* ex Aug. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: non enim Ecclesie certo constat, saltem statim, an tales habuerint hunc poenitentia motum: ergo. R. 1. Hoc argumentum esse in omni sententia solvendum; sic enim ipsum retorqueo. Si ad Martyrium salutare requiratur, ut qui eo plectendus est, deponat saltem affectum ad peccatum, quod omnes admittunt; merito dubitare poterit Ecclesia de multis Martyribus, an sint Beati, ac proinde pro illis orare; non enim Ecclesie certo constat, saltem statim an tales deposuerint affectum ad peccatum, siquidem contrarium possit contingere, ut dixi supra. R. 2. Ecclesiam non statim aliquem pro S. Martyre colere, nisi certo ipsi constat, quomodo se in confessione, & passione gesserit.

Interim, inquit Layman ex Durando, piè credendum est, nunquam hominem voluntarium mortem oppetere pro Christo, nisi ardentis charitatis actu precedente: cum enim ista voluntas moriendi pro fide revelata sit actus ex objecto præstantissimus, & suapte natura difficillimus, quadam congrua necessitate impetrat a Deo uberiorem gratiam, per quam disponatur ad charitatis operationem: alioquin Deus videretur deficere in necessariis, cum major gratia sit necessaria ad difficiliorem actum. Est sanè communis Doctorum, fideliumque omnium persuasio mortuorum omnibus esse necessarium dilectionis actum: cur itaque non existimemus, Deum opitulatione gratia suæ mentem hominis disponere ad hunc actum, si pro veritate fidei animam suam positurus sit. Idque etiam Historie testantur, & multorum experientia comprobavit eos, qui ad Martyrium destinabantur, aut aliquid pro fide Catholica patiebantur, ardentissima charitate flagrasse, sic etiam discuntur Cajet. Hic a. 2. §. *Nim Martyrium*.

ARTICULUS III.

De vitis oppositis Fortitudini, nempe de Timiditate, Intimiditate, & Audacia. QQ. 125. 126. 127.

Nota: Timor inordinatus, de quo hic agitur, est excessus in timendo, & defectus in audendo: ex 1. capite dicitur timiditas, ex 2. ignavia; sed propter affinitatem utrumque communi vocabulo dicitur *Timiditas*, Intimiditas, seu vacuitas justis timoris est defectus in timendo: audacia, seu temeritas, est excessus in audendo, & aggrediendo: ubi videt, non sumi hic timorem, & audaciam præcisè prout

sunt passiones, sic enim sunt secundum se indifferentes, sed prout important defectum, seu excessum harum passionum.

Dico. (Q. 125. a. 1. 2. & 3. o. Q. 126. a. 1. & 2. o. Q. 127. a. 1. & 2. o.) Hæc tria, timiditas, intimiditas, & audacia, sunt peccata opposita fortitudini, quandoque mortalia, quandoque venialia. Prob. 1. pars. (*Ib. a. 1. o.*) Hæc tria deflectunt a regula, seu medio rectæ rationis, nimirum timiditas timendo, quod, quando, ubi non oportet, vel plusquam oportet. Intimiditas est contra non timendo, quod, aut quando, aut quantum timere oportet. Audacia audendo, seu aggrediendo, quod, quando, ubi non oportet, aut plusquam oportet: ergo. Prob. 2. pars. (*Ib. a. 2. o.*) Fortitudo, ut dictum est, versatur circa timores, & audacias, illos & illas moderando secundum dictam rectæ rationis, scilicet ut neque nimis sit timor, neque nullus, neque nimia sit audacia, neque nulla, sed utraque passio in medio, seu intra limites rectæ rationis consistat: atqui timiditas excedit in timendo; audacia excedit in audendo: ergo opponuntur fortitudini. Circa timorem (Q. 125. a. o.) observandum est, quod loquamur hic de timore, qui est circa periculum est, quod quæ maxime versatur fortitudo; non de communi timore, qui in omni peccato reperitur: cum enim timor nascatur ex amore, & in omni peccato includatur amor inordinatus, ita & timor: sic avarus amat divitias, & inde timet amittere illas; luxuriosus voluptates & ambitiosus, honores, &c. Solus ergo timor, qui versatur circa gravia pericula, maxime pericula, mortis, opponitur fortitudini.

Prob. 3. pars. Deordinatio passionum, si in se sistat, nec ad aliud grave malum impellat, cum sit deordinatio rei secundum se indifferentis, non excedit culpam venialem: ergo timiditas, intimiditas, & audacia non sunt mortales, nisi ratione mali, vel periculi, ad quod movent; (Q. 125. a. 3. o.) ita ut, si timor impellat ad grave malum, erit mortalis; si ad leve, erit venialis: ut si quis timore mortis transgredatur præceptum obligans sub mortali, peccat mortaliter; si obligans sub veniali, peccat venialiter. Similiter, si ex intimiditate, aut audacia quia, qui se exponit gravi periculo, puta mortis, vel mutilationis, peccat mortaliter; si levi tantum periculo, peccat venialiter.

Ubi advertit, hujusmodi malitiam in passione non esse distinctam à malitia, vel mali, vel periculi, quod incurritur proindeque non explicandam necessario in confessione, ut si metu mortis pejeret, sufficit dicere te pejerasse, quia in tantum timor iste est malus mortaliter, in quantum est causa perjurii; unde non habet aliam malitiam mortalem, quam perjurii. Excipe duos casus: Primus est, si metus malum aliunde prohibuit sub mortali, ut si metu non adulterandi pejeret, quia timor non adulterandi, sicut illius amor, est secundum se malus independentè à perjurio. Secundus casus est, si sis paratus quodcumque peccatum committere potius, quam amittere rem, puta vitam, pro qua times: quia malitia hujus dispositionis videtur specie distincta à malitia, vel perjurii, vel homicidii, quod occasione data perpetraret ad vitandam mortem. Unde debet explicare in confessione, te talem timorem habuisse, & ex illo te tale crimen admisisse.

Nota insuper, intimiditatem, & audaciam, seu temeritatem oriri ex triplici causa. 1. Ex eo quod quis vitam suam minoris faciat, quam oportet. 2. Ex superbia, qua quis sibi præfedit, & alios contemnit, quasi ab illis non possit lædi, aut superari. 3. Ex animi soliditate, qua quis ita sit hebes, ut non videat, quibus periculis sit expositus. Adde pro audacia, eam etiam plerumque oriri ex appetitu vanæ gloriæ regulariter enim audaces sunt jactabundi, & volunt videri fortes, cum sint timidi.

Peres, utrum timor excuset à peccato? R. (Q. 125. a. 4. o.) Quod timor inordinatus, de quo hic est questio, non excuset à toto; bene tamen à tanto, quatenus minuit voluntarium.

DISSERTATIO II. DE PARTIBUS FORTITUDINIS.

à Q. 128. ad Q. 140.

ARTICULUS I.

Quid sint partes Fortitudinis. Q. 128.

Nota. (Q. 128. art. unico o.) Alicujus virtutis, ut jam antea notavi, possunt esse partes triplicis generis, subjectivæ, integrales, & potentiales. Fortitudinis non sunt partes subjectivæ, quia non dividitur in multas virtutes specie distinctas, cum sit circa materiam valde specialem, scilicet circa pericula mortis, quæ sunt omnia ejusdem rationis, licet alia aliis majora. Assignantur autem ei (*Ib.*) partes integrales, & potentiales. Sed partes integrales non sic sunt intelligendæ, quasi ex ipsis constet virtus Fortitudinis, sed quia ad integrum ejus officium requiruntur. Partes autem potentiales sunt, quæ cum Fortitudine in aliquo conveniunt, & in aliquo disconveniunt, & ideo illi adjunguntur ut secundariæ principali.

Dico (*Ibid.*) Fidentia, Magnificientia, Patientia, & Perseverantia sunt partes tam integrales, quam potentiales Fortitudinis sub diversa ratione. Prob. (*Ibid.*) Duplex est actus Fortitudinis, ut dictum est, aggregati scilicet, & sustinere. Ad actum aggregandi duo requiruntur; unum, promptitudo animi ad periculum subeundum, & hæc confert fidentia, seu fiducia; qui enim confidit, se malum imminens superaturum, promptè, ac facile periculum subit. Alterum est strenuitas in executione illorum, quæ fidenter inchoavit, & hæc confert magnificientia, quam definit Aug. ex Tullio, *Rerum magnarum, & excelzarum, cum animi ampla quadam, & splendida propositione, cogitatio, atque administratio*, id est, executio; ut scilicet amplo, & fidenti proposito executio non desit. Ad alium actum Fortitudinis, (*Ibid.*) qui est sustinere, duo etiam requiruntur; quorum primum est, ne difficultate imminantium malorum animus frangatur per tristitiam, & dolorem, & decidat à sua magnitudine; & quantum ad hoc ponitur patientia. Secundum, ne diuturna difficultatum passio homo fatigetur, & desinat; & ad hoc ponitur perseverantia. Itaque (*Ib. ad 6. & 7. 129. a. 6. & 7. q. 137. a. 3. o.*) si hæc virtutes considerentur ut versantes circa materiam Fortitudinis, scilicet pericula mortis, sunt quasi partes integrales ipsius, utpotè sine quibus integrum Fortitudinis officium non haberet. Si vero considerentur ut versantes circa alias materias, in quibus est minus difficultatis, sunt virtutes distinctæ à Fortitudine; cui tamen, quia eam imitantur, adjunguntur ut secundariæ principali, & ideo dicuntur partes ejus potentiales.

Nota. (Q. 129. a. 1. ad 3.) Prædictis adjungit Macrobius *Magnanimitatem, & Securitatem, & Constantiam*. Sed hæc continentur sub prioribus, *Magnanimitas, & securitas* sub fidentia, *Constantia* sub perseverantia. Etenim fidentia importat credulitatem mali vitandi, seu boni consequendi, & inde spem conficiendi: utrumque parit *Magnanimitas*; facit enim ut id, quod est arduum, credatur fieri posse, & ejus desiderium inlicit, ut patet modo: unde S. Th. Q. sequenti ponit Magnanimitatem loco fidentia. *Securitas* est perfectio fidentia excludens timorem, & anxiam curam. *Constantia* pertinet ad perseverantiam, quia ad utrumque pertinet firmiter persistere in bono, licet tamen secundum quid differant, ut dicam art. penultimo.

ARTICULUS II.

De Magnanimitate, quæ ponitur loco Fidentia. Q. 129.

Dico 1. (*A. 1. ad 3. 4. ad 1. & a. 8. o. & alibi*) Magnanimitas est virtus inclinans ad magna in omni virtutum genere opera, magno honore digna. Explicatur: Dicitur *ad magna inclinans*: quia Magnanimitas dicitur quasi magnitudo animi; magnus autem animus solus ille est, qui non nisi ad magna aspirat, magna cogitat, æstimat magna, parva negligit, & vilipendit. Dicitur *in omni virtutum genere*; quia nihil verè magnum est in rebus humanis præter virtutem, quæ facit hominem simpliciter bonum in hac vita, & beatum in æterna: opera autem virtutum non sunt omnia æqualia, sed alia parva, & mediocria, alia magna, & ardua, ut magna

vite austeritas, magni pro amaram salute labores, magna in gravibus malis patientia; & ad hæc magna inclinans Magnanimitas.

Si dicas, quamlibet virtutem, si perfecta sit, inclinare ad magnum in suo genere, v. gr. perfecta abstinencia ad magna jejunia, &c. R. (*Ib. a. 4. ad 2.*) Quamlibet virtutem inclinare ad magnum in suo genere sub ratione peculiaris honestatis, quam habet ex sua natura, & Magnanimitas sub ratione magis, & ardui: v. gr. perfecta abstinencia virtus inclinans ad magna jejunia, non quia magna, & ardua, sed propter propriam abstinencia honestatem, quam his operibus imprimere contendit, & quæ propter operum magnitudinem illustrior est; at Magnanimitas inclinans ad illa, in quantum habent rationem cujusdam excellentia, seu quia sunt magna, & ardua, atque consentanea magno, & generoso animo, magis, & superioribus principis instructo, magnis gratia auxiliis adjuto, magnis præmiis illecto; qui enim hæc pervellit, facillè intelligit magna virtutum opera sibi congruere.

Dicit 3. *magna honore digna*; quia magnis virtutum operibus magni debentur honores, non solum ab hominibus, sed maxime à Deo. Et quia ex appetitu, aut contemptu honorum homo promovetur ad magna, aut ab eis retrahitur (qui enim nimium appetunt honorem, illum non querunt, ubi, quando, quomodo oportet, ut ambitiosi, & vanæ gloriæ cupidus; & qui contemnunt, sunt vecordes, & pusillanimes ad magna) (*Ib. a. 1. o.*); hinc fit; quod honores sint materia remota, circa quam versatur magnanimitas, & appetitus honorum materia proxima; quem appetitum sic moderatur, ut neque nimis, neque minor sit, quam oportet, honorumque usus sit talis, ut neque in honorationibus extollatur animus, neque frangatur in dehonorationibus.

Ex quo habes, actum primarium magnanimitatis, adeoque finem ejus principalem, & objectum formale, esse tendere ad magna magno honore digna, non quidem propter honorem, sed propter eorum excellentiam, ratione cujus sunt honore digna. Actum verò secundarium esse moderari appetitum, & uti honorum, ut dictum est, in ordine ad magna patranda. Sicut in Fortitudine actus ejus primarius est sustinere, & aggredi, secundarius est moderari timores, & audacias: ejusdem enim virtutis est promovere ad bonum, & tollere ejus impedimenta.

Porro (*Ib. a. 2. o.*) neque quoscumque honores respicit magnanimitas, sed magnos dumtaxat; quia circa parvos versatur alia virtus innominata, nisi quod vocetur a suis extremis *Philotimia*; id est, amor honoris, & *Aphilotimia*, id est, sine amore honoris; virtutis enim est, & laudabile quandoque amare honorem, quandoque non curare de honore, prout scilicet utrumque moderatè fieri potest. Idcirco etiam, quamvis magnanimus parvipendat honorem mundanum; quia fragilis est, & caducus, atque bonis, & malis communis; at tamen verum, & solidum ex virtute honorem apud Deum, Sanctos, & probos, æstimat, & secundario appetit.

Sed statim insurgit difficultas, cur circa appetitum parvorum, & magnorum honorum assignetur duplex virtus (eadem difficultas currit de liberalitate, & magnificencia circa parvas, & magnas pecunias), & non assignetur duplex circa parvos, & magnos timores, circa parvas, & magnas concupiscentias, circa parvas, & magnas iras, & sic de cæteris virtutibus; sed una, & eadem Fortitudo moderetur parvos, & magnos timores, eadem temperantia magnas, & parvas concupiscentias, &c. R. (*Ib.*) hæc esse disparitatem. Tota ratio virtutis moralis in eo sita est, quod passiones, circa quas versatur, contineat in medio, seu intra limites rectæ rationis. Quamvis autem omnes passiones habeant vim resistendi rationi, tam ex parte sui, quam ex parte objectorum; sunt tamen, quæ habent magnum vim resistendi rationi, nisi fuerint vehementes, eò quod appetitus sensitivus, in quo sunt passiones, naturaliter subditur rationi, & ideo virtutes, quæ sunt circa hujusmodi, non ponuntur nisi circa id, quod est magnum in illis; versatur enim virtus, ut communiter dicitur ex Philosopho, circa difficile, & bonum, proindeque ad parvum